

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Rudolph Redecker

**Heinricus Rudolphus Redeker/ ICtus & Assessor Acad. Rostoch. ... Ad
Disputationem Inauguralem De Assessoribus a ... Johanne Georgio Gutzmero,
Rost. conscriptam & ... V. die Sept. habendam ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74150829X>

Druck Freier  Zugang



HEINRICUS RU-
DOLPHUS ²⁷
Redeker/
JCtus & Assessor Acad. Rostoch.
Ampliss Facult. Jurid.p.t. Decanus,

Ad

Disputationem Inauguralem

De

ASSESSO- RIBVS,


à
VIRO Clarissimo

DN. JOHANNE GEORGIO
GUTZMERO, Rost.

conscriptam

&

In Auditorio majori V. die Sept. habendam
Magnificum DN. Rectorem, Excellentissi-
mos Dominos Professores, Amplissimos omnium or-
dinum Doctores, omnesque Litteratos & Litterato-
rum Fautores, officiosè & amanter invitat



(o)

ROSTOCHII,

Typis IOHANNIS KILII, Univer sitatis Typogr. Anno 1672.

Ab Moulain Henk



Salutem.



Nclyta romanorum gens, quæ hodie, immane quantum! a pristino virtutis studio & rerum gestarum immortali gloriâ defecit, nunquam tam amplam constituisset rempublicam, & tam immensa terrarum spatia, & tot indomitos populos, quibus olim, ceu mundi domina, superbo imperitavit supercilie, regimini suo adjecisset, vel justo imperio tueri potuisset, nisi utrumque reipb. tempus, & belli & pacis, armis decorasset & legibus armasset. Quod enim in humano corpore est anima, quæ omnes actiones hominum, per intellectum & voluntatem, dirigit, id in Republicâ, quæ corpus mysticum exhibet, est prudentia. Hæc enim, quam Poetæ ex Jovis vertice natam fabulantur, optima est vita humanæ magistra, & consiliorum omnium inventrix, felicitatisque, tūm publicæ, tūm privatæ, procreatrix ac moderatrix: eaque præprimis Principi, & cuicunque magistratui rempublicam gubernanti adeo necessaria est, ut vinculum humanæ consociationis sine illâ non possit retineri conservarique. Hinc Cicero videtis, inquit, quantâ vis sit temporum in republica, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibilis hominum voluntates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita sit. Proinde nisi multitudo regendæ prudentia adhibetur, suâ mole ruit magna cœterum vis & Principum potentia. Unde Rudolphus I. Imperator, potentissimæ domus austriacæ Stator, frequenter id Symbolum loco ulurpavit: Regni prudentia custos. Prudentissimus ille Imperator hactenus monitum sapientissimi Regis fecutus est: posside, ait ille, sapientiam, quia auro melior est; & acquire prudentiam, quia pretiosiore est argento.

Uti

Uti autem universa reipublicæ administrandæ ratio, in duas artes dividitur, pacis & belli, ita Julius Pollux voluit Principem suum, quem instituit, non modo πολεμικόν, qui armis se defendat, & rempl. tuta-
tur, sed & νομοθετικόν, qui salutares leges condat, esse. Et Pericles apud Thucid. laudat Atheniensum rempublicam, ad bellum pariter & pa-
cem instructissimam. Imo ipse Imperator Justinianus, summa dicit reipb.
tutio de stirpe duarum rerum, armorum scil. atque legum veniens,
vix suam exinde muniens, felix romanorum genus omnibus anteponi
nationibus, omnibusque gentibus dominari, tam præteritis effecit tem-
poribus, quam, Deo propitio, in eternum officiet. Ne autem quis in-
illam proteriæ ac temeritatis audaciam, vel foedam obtrectandi libi-
dinem proruat, & ambitiosæ optimi Imperatoris gloria cupiditati
assertum hoc ceu domesticum testimonium, quod suis viribus suspe-
ctum esse sivevit, assingat, ipse, qui meritorum gloria invidiam vicit,
& fidem dictorum meruit, ex certissimis rerum argumentis, ad pro-
dendam veræ virtutis memoriam, sine gratia & ambitione, bona dun-
taxat conscientiæ pretio ductus, ut veritas magis in aperto esset, pru-
dentiam romani regiminis, in æternitate temporum mansuram, ex-
primere voluit. Eandemque administrationis curam, Prætori Lycaon-
iae, nec non Præfidi Pisidiæ, tanquam commissi regiminis cano-
nem, prænotando injunxit: Veteres Romani suos Imperatores Praetores
appellabant, simulque illis præbebant, ut militaris præarent copias, &
descriptis ab illis parebant legibus, & prorsus emt hic Principatus ex am-
bobus contemperatus, præferens & ostentans, tam in instruenda acie
robur, quam inferendis Legibus rectam & decentem ordinem. Mili-
taarem autem veterum romanorum, (nam modernos romanensium ci-
vies multo verborum honore cumulare nihil attinet, cum tardiora apud
illos sint remedia quam vitia, magnis civitatibus communia) discipli-
nam, bellicos sudores, cruenta prælia, stupendas victorias & quicquid
pro triumpho dabatur, hic enarrare supersedeo, cum historicorum
monumenta isthæc omnia, ne oblivione obruantur, posteritati tran-
scripserint. Neque propositi vel officii nostri ratio eò progreditur, ut
bellum decernendum, præsidia agitanda, castra metanda, acies in-
struenda, prælia miscenda, hostes feriendi, vel cruenta spectacula ex-
hibenda, sed justitiæ sancta penetralia adeunda, & de Romanorum jure
seu Legum prudentia, quæ civilis & regia scientia est, & inter præci-
pua, quæ augent, illustrant & conservant resplicas, referenda, potius

dissertandum. Adeo autem romanorum celebratur Iustitia, ut plures provincias per iustitiae famam, quam per arma quasvis dicantur, & quod juris teste Valerio Maximo praecipuum & certissimum inter omnes gentes romana civitas exemplum sit. Deus enim & crexit & excitavit pristinam romanorum gentem, in illud in comparabile Imperii fastigium, ut per eam terrarum orbi Leges daret. Quod D. Augustinus, relatus à Gratiano, ingenuè fatetur: *Leges romanorum divinitus per ora Principium emanarunt.* Et alibi, *Per populum Romanum placuit Deo terrarum orbem debellare, ut in unam societatem reipublicæ legumq[ue] perdicatum longe lateque pararet.* Proinde, in legibus ferendis & jure dicundo, omnes pene gentes honori sibi duxerunt, ad romanos proximè accedere, unde Claud. de Româ Legum patria.

*Armorum, Legumque parens; que fundit in omnes
Imperium, primis dedit cunabula juris.*

Intueamur admirandum illud juris ac iustitiae palladium, quod ipse Justinianus Imperator Corpus juris vocat. Illi enim confiando, per tot secula, tot insudarunt Sacratissimi Imperatores, tot Illustrissimi Magistratum ordines, tot sublimissimi Jurisprudentes, ut undique exemplar, respublicas quavis instituendi & conservandi, esse possit. Si itaq[ue]; ut vult M. T. Cicero, Bibliothecæ omnium Philosophorum uno duodecim tabularum libello auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superantur, cui conscribendo Decemviri, communis populi suffragio creati, operam navarunt, quantis parasangis illum antecedit Justinianea illa juris prudentia, Legibus à populo, plebiscitis à plebe, Senatusconsultis à Senatu, Constitutionibus à Principibus, Edictis à Prætoribus Romanorum latis, & responsis à dissipissimus Jotis, quorum Brissonius, tanquam clarissima Jurisprudentiae lumina, recenset, datis, quæ omnia, si dextrè explicentur summam æquitatem continent, refermissima. Verum enim vero cum intelligerent Romani, teste Pomponio JC. quod parum est, *jus in civitate esse, nisi sint qui iura reddere possint,* & quod constare non possit *jus, nisi sit aliquis jure peritus,* per quem possit cotidie in melius produci: quia ipsæ leges, uti Cujac. in d. l. commentatur, cupiunt ut jure regantur. Ipsi Principes romani summo cum studio juridicos suis se subditis præbuerent. Augustus, inquit Svetonio, *jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam;* idem de C. J. Cæsare, Tiberio, Claudio, Vespasiano, Severo, refert, & de suo Trajano Plinius, *iam assiduus fuit in Tribunalis, ut labore refici ac reparari videretur.* Ho-

rum

rum exempla si alii, quod pauci hodie facere sverunt, imitentur, nihil fecisse videatur, quod vel ab officio boni Principis alienum, vel dignitati regiae contrarium, & quidem ex judicio Reginæ Sabæ: constituit, inquietis, te Deus Regem, ut faceres judicium & iusticiæ, Salomonem, inquit ipse sapientissimis regum, postulare à Deo, quod vellet jussus, dabis, dicit, servotuocor docile, ut populum tuum judicare possit. Cum autem, majoribus curis intenti Principes & summi magistratus Romani, ipsi iudicando præesse nequirent, magistratum eligebant, qui, ut testatur Cicero, erat lex loquens; Nam uti Magistrati leges, ita populo præsunt Magistratus, ne, convulsis Legibus, & Magistratu sublato, in anarchiam degeneret respublica, & in dissociatam multitudinem civitas. Quemadmodum vero periculosum prudentiores politici reputant, uni omnium consiliorum summam committere, quia, ut inquit Dio, immodica potestas animos hominum ad fastum extollit & corrumpit; nec monstruosius quicquam, si Princeps, qui omnibus imperat, patiatur ab uno sibi imperari, uti pluribus probatum eunt Guevarr. Horol. Prius. l. 3. c. 58. Anti Machiav. l. 1. tb. 2. Richter. axiom. Pol. 104. & 152. Phil. Camer. in hor. subci. cent. 1. c. 90. & passim alii Italiæ romani, ut provincias imperio suo subjectas ritè & rectè administrarent, plures fecerunt imperii ac potestatis participes, de quibus in lib. 1. ff. & Cod. amplissimis rubricis agitur. Nec modicum erat quietis ac felicitatis præsidium, immò vel inter acuta dominationis referebatur, quod illis, quos magistratus in Provincias mittebant, armorum juxta ac legum potestatem facerent, nec non ad utrumq; accommodatos & idoneos haberent, secundum Nov. 24. Inde factum, ut, cum magistratus magnam partem viri militares, & juris imperiti essent, quibus gratia Principis, habitâ virtutis & innocentiae ratione, non juris peritiae, dabatur, magistratum, teste M. Tull. pro Planco, adsciscabantur Assessores ac Consiliarii, qui debebant esse Jurisprudentes l. 1. ff. & l. 1. C. b. t. ut Legum scientiam in dijudicandis causarum difficultatibus suppeditarent: unde magistratus, ac judicis unius cujusque, magna portio esse videntur, & simul sua signa sententiis, à magistratu vel judge dictis, imponunt. Fuerunt autem maximi quiq; Icti Assessores & Consiliarii, nam Salvius Julianus, sublimissimus perpetui Edicti conditor, avus Didii Juliani, & Consiliarius Imperatoris Adriani audit quoties hic res controversas discerneret. Quemadmodum & Martianus, Lampridio attestante, Cervidiq; Scævola, quem inter Principes & Corypheos Ictorum numerat Mode-

tinus, à Iulio Capitolino M. Antonii Philosophi Consiliarius perhibetur. Julius Paulus laudatur Consiliarius Alexandri severi, & Assessor Papiani Praefecti Prætorio. Domitius Ulpianus itidem Alexandri Consiliarius & Papinianii Assessor fertur. Pomponius, qui cum Ulpiano, Paulo, & aliis, ex Scholâ Papiniani prodiit, etiam unus ex Consiliariis Alexandri numeratur. Ipse quoq[ue] Papinianus, omnium ICtorum, qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, acutissimus, & jurisperitissimus, Consiliarius Severi fuit. Hic autem Papinianus, cuius memoriam in æternum valere voluit Imper. Iustinianus, & in cuius honorem festum diem celebrare solebant Papioianistæ, seu Studiosi, cum primum ejus LL. acciperent, exemplo suo comprobavit, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse. Ita nec olim duntaxat, sed & hodiè, ad quæcunque tandem judicia, sive summa illa sint tribunalia, sive intermedii Scabianus, sive quæcunque præatoria, respexerimus, magnam in Assessore honoris præminentiam, & officii amplitudinem, cernere habemus. Proinde Clarissimus Vir DN. IOHANNES GEORGIUS Guzmer / Iuris Candidatus eximius, qui Iurisprudentiæ curriculum feliciter absolvit, & in examine privato, pro more instituto, se se ita dignum præstítit, ut, ad publicum examen eruditionis, optimum Amplissimæ Facultatis punctum habens, istam materiam elaborandam, & loco disputationis Inauguralis, publicæ velitationi, pro consequendis summis in utroque jure honoribus, submittendam, præoptavit. Cum autem nemo ex Statuto Amplissimæ nostræ Facultatis, nec ad Disputationem Inauguralem, minus ad summos in jure honores, sit promovendus, nisi se tales, qui hos mereatur, exhibuerit, ita ut vitæ anteactæ inculpatos ostendat mores, & elegantem juris peritiam, officii, quod in præsens sustineo, ratio, & mos haud quaquam reprehendus, me admonet, ut isthæc, ab incunabulis repetam, & publicæ vocis suffragio, succinctâ tamen brevitate, tester. Natus autem est hic Rostochii, X. Cal. Decemb. Anni Epochæ Christianæ 1646. Patre Viro Nobilissimo & Consulissimo DN. SIMONE IOHANNE GUTZMERO JCo celeberrimo, amico nostro venerando, qui Syndicatus dignitate in civitate Stargardenium, ulteriori in Pomeraniâ clarâ, per aliquot annos dexterim functus, nos apud dulce senectutis otium publicis curis, ad exemplum magnorum virorum, præfert. Matrem habuit feminæ sexus coronam ANNAM REGINAM Hagemeisters / florentissimæ familie Hagemeistrorum singulare ornamentum, quæ ante annos aliquot, non sine

2

sine lucitu familie sue, naturae concessit. Honestissimi hi parentes certas pa-
ternarum virtutum scintillas, & bona mentis indolem in hoc filio suo
emicare animadvententes, a primâ statim infantia eum optimis Prae-
ceptoribus erudiendum commiserunt, & quidem præprimis Viro Clarissi-
mo D.N. M. CHRISTOPHORO PRÆTORIO, Stetinensis Pe-
dagogii olim eloquentiae Professori disertissimo, nunc Stargardensis
Gymnasii Directori fidelissimo, qui illum per integrum lustrum huma-
nioris litteraturæ præceptis feliciter instruxit. Hinc domum revocatus
Vir Plur. Rever. & Excellentiss. DN. MICHAEL COBABUS, SS.Th.
D. & Prof. celebratissimus, amicus & collega noster singulariter bononan-
dus, omnem, in informando hoc nostro Candidato, navit operam, ut eum
majoribus auspiciis idoneum redderet, quod Coppido præstitit. Hujus itaq;
Optimi sui Praeceptoris consilio, & Patris jussu in Academiam Wittenberg.
ablegatus est, ubi non statim illotis, ut ajunt, manib; seu relictis Philosophiae
principiis, ipsam Themidos arcem invasit, sed primitus informatore
Ampliss. Dn. WENDELE RO, S.S. Theologiae Doctore P.P. & Epho-
ro suo fidelissimo Dn. M. CHRISTIANO Recensem. Astreæ sacraria
perscrutatus est, & hoc Præside disputationem de Actione per violen-
tiam invitâ, non sine laude, publico examini submisit. Tandem ani-
mum ad sacrarum legum scientiam applicuit, & Excellentissimorum
Dnn. JCtorum Dn. MARTINI, & Dn. LEISERI, prælectiones,
tum publicas, tum privatas, in omni juris parte, sedulò frequentavit, &
in suscepto juris curriculo constanter perseveravit. Relicta Wittebergæ
patriam banc Academiam invisit, meisque & nobilissimorum Domini-
norum Collegarum lectionibus & collegiis summocum ardore discendi
interfuit. Cum autem intelligeret Troæ quidem nasci Hectores, sed
non nisi foris Ulisses, iterum natale solum, studiorum amore, reliquit
& in Marburgensem, Giesenensem, Heidelbergensem, Tbingensem &
Argentoratensem Academiam se contulit, ibidemq; magna Jurispru-
dentiae oracula summo cum fructu audivit, admissus enim in fami-
iliaritatem Dn. LAUTERBACHII, Dn. FROMANNI, Dn.
SCHEINEMANNI, aliorumque Antecessorum celebratissimorum,
maximos in civili prudentiâ fecit progressus & latifundium juris, un-
diquaque difficultatum scopulis obnoxium, superavit, & ita universi
Juriscurriculum felicissime absolvit. Quibus peractis per Helvetiam
& Rempublicam Genneensium Gallias, ubi per annum substitit, in-
travit & ubique, quid observatione vel admiratione dignum, probè
notas.

notavit. Ex Gallia in magnam Britanniam transfretavit, & præter arces Regias magnificentissimè extructas, Urbem Lugdunensem & Academiam Oxoniensem sibi notam fecit, inde per utrumque Bel-gium, olim nitidissimum, hodie armis Gallorum nimium quantum! quassatum permeavit. Hanc autem peregrinandi molestiam non illuscepit sine, ut possit viarum amplitudines, locorum distantias, turri-um altitudines, & adiectorum elegantiam, templorum ornamenta, & re-tiqua, quæ ad civilem prudentiam vel parum vel nihil conferunt, refer-re, sed ut illa audiret, illa disceret, illa oculis cerneret, quæ nulla disciplina, nullog_z doctore satis belle addisci possunt. Illi enim semper præ-dentiores, & olim, & hodie, habentur, qui, ut sapientiam acquirant, patria dulcedinem negligunt, & multorum hominum conversationem, nec minus rerum publicarum extenarum notitiam, exactè tenent. Cum itaq_z se illis animi dotibus instructum intelligeret, quib. redux posset optimum Patrem, jam jam senescentem, nec non totam familiam, omnesq_e bonos, singulari gaudio afficere, nec minus superatitudinis decus, & vi-tæ honestum otium jure expetere, cursu eruditio[n]is & peregrinationis inoffenso, ad Rhodopolim aliam matrem, auspiciatissimo sydere, se convertit. Cumque præmium peracti laboris ab Amplissima no-fra Facultate peteret, non potuit qui tot eruditio[n]is & virtutum documenta dedit, & omnium consensu capax est, repulsus abire. Quoniam autem Disputationem, de ASSESORIBUS accurate scriptam, publico Examini sistere cupit. Ego, meo & Ampliss. Facultatis nomine, omnes Litteraros & Litteratorum fautores, ut actum hunc suâ præsentia augstiorem reddere, & in Jurisprudentiam Clariss. Dn.


Candidati exactissimè inquirere velint, eā, quā
decet humanitate & observantia,
invito.

P. P. sub sigillo Facultatis die
25. Augusti Anno 1672.



rum exempla si alii, quod pauci hodie facere siveverunt, i-
hil fecisse videntur, quod vel ab officio boni Principis alien-
tati regiae contrarium, & quidem ex judicio Reginæ Sabæ:
quientis, te Deus Regem, ut faceres judicium & justitiam, Salo-
ipse sapientissimis regum, postulare à Deo, quod vellet iussu
servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit. Cu-
joribus curis intenti Principes & summi magistratus Rom-
dicundo præesse nequirent, magistratum eligebant, qui
Cicero, erat lex loquens, Nam uti Magistratui lege
præsunt Magistratus, ne, convulsis Legibus, & Magistrat
anarchiam degeneret respublica, & in dissociatam multi-
tas. Quemadmodum vero periculosum prudentiores
tant, uni omnium consiliorum summam committere,
quit Dio, immoda potestas animos hominum ad fastu
corrumpit; nec monstruosius quicquam, si Princeps, qui
perat, patiatur ab uno sibi imperari, uti pluribus probata
varr. Horol. Prius. l. 3. c. 58. Anti Machiav. l. 1. tb. 2. Ri-
Pol. 104. & 152. Phil. Camer. in hor. subci. cent. 1. c. 90. & p-
romani, ut provincias imperio suo subjectas ritè & recide-
rent, plures fecerunt imperii ac potestatis participes, de q-
ff. & Cod. amplissimis rubricis agitur. Nec modicum erat
licitatis præsidium, imò vel inter acuta dominationis refe-
illis, quos magistratus in Provincias mittebant, armoru-
gum potestatem facerent, nec non ad utrumq; accommo-
neos haberent, secundum Nov. 24. Inde factum, ut, cui
magnam partem viri militares, & juris imperiti essent, o
Principis, habitâ virtutis & innocentia ratione, non juris p-
magistratum, teste M. Tull. pro Planco, ad sciscebantu
Consiliarii, qui debebant esse Jurisprudentes l. 1. ff. & l. 1.
gum scientiam in dijudicandis causarum difficultatibus su-
nde magistratus, ac judicis unius cuiusque, magna portio
& simul sua signa sententiis, à magistratu vel judice die
Fuerunt autem maximi quiq; Jcti Assessores & Consiliari
Julianus, sublimissimus perpetui Edicti conditor, avus D
Consiliarius Imperatoris Adriani audit, quoties hic res co-
seerneret. Quemadmodum & Martianus, Lampridio attesta
Scavola, quem inter Principes & Corypheos Ictorum in

) o (3



the scale towards document